

Q. B. F. F. Q. S.

AUCTORITATE

ET SUB AUSPICIIS

AUGUSTISSIMI AC POTENTISSIMI

PRINCIPIS ET DOMINI

FRIDERICI GUILIELMI I.

ELECTORIS ET LANDGRAVII HASSIAE, MAGNI DUCIS FULDAE,
PRINCIPIS HERSFELDIAE RCL.

AD

NOVI PRORECTORIS

INAUGURATIONEM

DIE V. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCLII

CONCELEBRANDAM

INVITAT

PRORECTOR MAGISTRATU ABITURUS

JOSEPHUS C. FR. RUBINO,

PHILOSOPHIAE DR., PHILOLOGIAE ET HISTORIAE P. P. O.

Inest disputatio de augurum et pontificum apud veteres Romanos numero.

MARBURGI,
TYPIS BAYRHOFFERI ACADEMICIS.

In disputationibus meis de veterum Romanorum republica et historia ex certis et luculentis antiquorum scriptorum testimoniis demonstravi multa in rebus sacris eaque summa jura, quibus liberae reipublicae tempore et pontifex maximus et totum pontificum collegium usi sunt, antea, dum regnum permanebat, penes ipsos fuisse reges [1]). Quanquam enim pontifices magna jam tum fruebantur auctoritate ex quo collegium eorum constitutum ab Numa est, potestatis tamen vel paullulum vel omnino nihil habebant, sed ut in caeteris reipublicae partibus ita in sacris etiam summum judicium et suprema potestas regum inhaerebat dignitati. Ipsi enim ex antiquissima inde aetate Vestales virgines et suo arbitrio legebant Albanorum regum exemplo, et si quae incestum admisissent damnabant eas et vel ultimo eas supplicio afficiebant: ipsi flamines instituebant, de sacerdotibus judicia habebant, multa denique sanciebant de religionibus, quae postea ad pontifices pervenisse nemo est qui ignoret. Neque est in ea re quidquam quod mirum nobis debeat videri. Etenim quum in Graecis quoque civitatibus tam arcte antiquitus conjuncta esset cum regia dignitate sacrorum procuratio, ut vel constituta libertate *βασιλέων* nomen remaneret in republica atque ad eos transiret magistratus, qui praeessent sacris et de religionibus judicia haberent: longe etiam sanctior et augustior apud veteres

1) Cf. Untersuchungen über römische Verfassung und Geschichte, Vol. I, p. 211 sq.

Latinos et Romanos regum erat majestas, qui totius religionis antistites ita habebantur, ut in caetera sacerdotia plurima et amplissima, ab ipsis, ut credebatur, instituta, partem tantum aliquam sui muneris transtulisse existimarentur [1]). Itaque fieri aliter non potuit quin, quamdiu regum in urbe imperium esset, potestati eorum sacerdotes omnes ne ipsis quidem pontificibus exceptis parerent. Expulsis autem regibus quum summus magistratus ad consules esset translatus, idem Romae videmus accidisse, quod Athenis tum evenit, quum novem archontes instituebantur; quemodmodum enim ex his unus *βασιλέως* appellationem religionum causa retinuit, ita apud Romanos rex quidam sacrificulus constitutus est, ne sacra, quae ad hoc usque tempus factitata a regibus essent, desererentur neve ab alio nisi ejusdem nominis sacerdote obirentur. Verumtamen observanda est hac in re memorabilis quaedam inter utramque civitatem differentia, cujus explicatio et causa ex utriusque populi diversis fatis et rerum gestarum memoria repetenda est. Apud Athenienses enim sicut in universa fere Graecia paullatim imminuta erat regia potestas et tam parvo denique negotio sublata, ut neque metum civibus sui neque invidiam relinqueret: quin omni potius tempore gratissimam Attica gens retinebat Codri illius memoriam, qui quum postremus regali ornatus esset honore pro patria non dubitaverat mortem obire voluntariam. Itaque nihil obstabat, quo minus archon ille, qui regis splendebat titulo, amplum inter magistratus locum obtineret, magna quadam praeditus esset potestate, denique judiciis, quae cum religione cohaererent, praeesset omnibus. At Romae contra nunquam in majore potentiae fastigio domi militiaeque constituti reges erant, quam eo ipso tempore, quo propter superbiam armata

1) l. c. p. 48, 114. 115.

vi inter ingentia pericula et certamina civitate ejecti sunt Tarquinii. Quamobrem quum non in odio solum regnum Romani haberent, sed etiam ne quando restitueretur in perpetuo essent timore, sacrorum quidem regem retinebant in republica, sed ne quid forte novi moliretur nominis fiducia, omnem ei potestatem ademerunt [1]. Tantum enim aberat ut inter magistratus haberetur, ut ne magistratum quidem capere neve petere ei liceret: et quum regum exemplo praefectus esse caeteris sacerdotibus deberet, ita est in ordinem coactus ut parere ipse pontifici juberetur [1]. Ex eo inde tempore pontificis, qui jam maximi insignitus est appellatione, mirum in modum crevit potestas: cujus rei causa in aperto est. Etenim quum jam regum tempore prae omnibus sacerdotibus pontifex eminuisset cum collegio suo, quippe cui totius divini juris scientia custodia interpretatio ita esset commissa, ut de omnibus publicis privatisque sacris consuleretur et summa auctoritate responderet: nihil videri debuit convenientius esse, quam ut qui optime singulorum officia nosset idem omnibus arbitri et vindicis loco praeponeretur. Ita factum est, ut de regia potestate, quae caeteroquin ad annuos est consules translata, ea pars, quae ad sacra pertinebat, sejungeretur et pontificibus traderetur.

Ab hac sententia, quam hoc breviter loco perstrinxi quum alio fusius eam exposuissem, nuper dissentire se professus est Bachofen, vir clarissimus, qui his ipsis annis elegantissimum de Romanorum historia librum instituit edere, ita tamen cum Gerlachio viro celeberrimo consociata opera, ut, quid alterutri debeatur, adhuc conjectura assequi difficile sit. Statuunt autem duumviri doctissimi jam initio Albanarum rerum sejunctam esse a regia potestate summam sacrorum curam, ita

1) Cf. Liv. II, 2. Dionys. Hal. IV, 74. Plut. Quaest. Rom. c. 73.

scilicet divisis partibus, ut regnum Silviis pontificatus maximus Juliae genti attribueretur. Atque inde factum esse existimant ut Romae quoque Albanae civitatis ad exemplum jam a principio urbis sacrorum potestas separata a regio imperio fuerit et summo pontifici commissa [1]). Qua in re videant egregii viri, ne speciosae opinationi plus tribuerint quam memoriae ab antiquis scriptoribus traditae, cui caeteroquin fidem habent plurimam. Albanos enim reges usque ad interitum regni sacris sacerdotibusque praefuisse Amulii edocemur exemplo, quem uno omnes ore fratris filiam Vestae sacerdotem et legisse et quum noxiam eam deprehendisset poena affecisse referunt. Condita autem Roma urbe statim Romulus, non pontifex ille sed rex, non a Juliis sed materno certe, ut traditum est, genere a Silviis oriundus, omnibus diis sacra ipse fecisse Albano maxime ritu narratur [2]). Sacerdotium autem illud, quod Julo ejusque posteris concessum ab Albanis esse Dionysius refert [3]), nihil nisi singulare quoddam et gentilicium fuit a civitate tamen agnitum et receptum, quale Romae Potitiorum et Pinariorum Aureliorum aliorumque multorum fuisse constat; neque id cum pontificatu maximo et universa sacrorum procuratione quidquam habuisse commune apparet.

Longe aliam viam ingressus est Mercklinus, v. cl., professor Dorpatensis, qui in doctissimo de cooptatione apud Romanos libro pecu-

1) Gerlach und Bachofen, Geschichte der Römer, I, 2, p. 206: Diese Verhältnisse finden in Rom ihre Fortsetzung. Dem Königthume steht das Pontificat zur Seite, es ist nicht mit ihm vereinigt. Die Meinung, als sei die Trennung der weltlichen und geistlichen Macht erst bei dem Beginn der Republik ...... herbeigeführt worden, scheint mir durchaus unhaltbar.

2) Liv. I, 7: Sacra diis aliis Albano ritu, Graeco Herculi facit.

3) Dion. I, 70: *Ἰούλῳ δὲ ἀντὶ τῆς βασιλείας ἱερά τις ἐξουσία προσετέθη καὶ τιμή, ... ἣν ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ τὸ ἐξ αὐτοῦ γένος ἐκαρποῦτο.* Ex his verbis satis elucere arbitror totam hanc de Juliorum apud Albanos sacerdotio narrationem cum iis cohaerere sacris, quae gentiles Julii usque ad imperatorum Romanorum tempora retinebant et celebrabant. Exemplum praebet ara Juliae gentis Bovillis reperta, cf. Clausen, Aeneas und die Penaten, p. 1086 et tab. IV. n. 3. Orelli Inscript. n. 1287.

liarem ea de re tulit sententiam. Atque supremam quidem regum in rebus sacris potestatem fuisse non it infitias, quippe quod multis testatum esse scriptorum locis agnoscat: causam vero ejus rei non inde repetendam esse arbitratur, quod antiquitus cum summo magistratu intime et quasi necessario conjuncta fuerit religionum cura, sed quod pontificum collegio adscripti reges et ipsi fuerint, in eoque principem tenuerint locum: non igitur tanquam reges sed tanquam pontifices maximos praefuisse eos sacris judicat [1]). Plane eandem rationem etiam in auguratum existimat valuisse [2]). Quum enim antiquissimos et Latinorum et Romanorum reges constet pro optimis habitos esse augures (scilicet quod a Diis diligi et ut consulere possent populo divinandi ab iis praediti esse arte credebantur [3])) inde Mercklinus colligit in augurum publicorum eos fuisse ordine et collegio. Quam utramque opinionem ut persuadeat lectoribus argumentum a numero repetit. Regum enim aetate quinque fuisse et pontifices et augures statuit, rege videlicet incluso; post ejectos autem reges, quum in eorum locum nemo alius esset cooptatus, ad quaternarium numerum utrumque collegium redactum esse contendit. Hac enim ratione conciliari optime posse censet Ciceronis testimonium cum Livio, quorum alter quinos utriusque generis sacerdotes institutos esse a Numa dicit [4]) alter tempore Ogulniae legis (anno 301 a. c.) quaternos tantum fuisse in republica tradit [5]): nempe addito rege quinos sublato eo fuisse quaternos. Atque prima quidem specie subtilis quodammodo haec

1) Mercklin, die Cooptation der Römer, p. 88 u. 90.

2) Ibid. p. 97.

3) Cic. de divin. I, 40, §. 89: ut enim sapere sic divinare regale ducebant etc.

4) Cic. de rep. II, 14: Idemque Pompilius et auspiciis majoribus inventis ad pristinum (id est trium cf. II, 9) numerum duo augures addidit, et sacris e principum numero pontifices quinque praefecit.

5) Liv. X, 6: Quum quattuor augures, quattuor pontifices ea tempestate essent.

ratiocinatio possit videri: simulatque autem rem accuratius perpenderis, collatis inter se scriptorum locis et justo unicuique pondere tributo, omnis illa si qua fuit approbatio evanescet. Ne autem necesse videatur omnia quae contra illam opinionem faciant argumenta perlustrare, id Reinii viri clarissimi professoris Isenacensis eruditae debemus diligentiae, qui in novis annalibus philologicis [1]), dum Mercklíniani libri censuram peragit, hoc ejus commentum tam scite et docte refellit, ut persuasisse eum hac de re non solum aliis sed ipsi etiam auctori existimare jam liceat. Quamobrem in hac disputatione, quam multis districtus publicis ex negotiis properanti exaro calamo, unam attingere quaestionem satis habebo, quae ad illam rem enucleandam et illustrandam non parvi esse momenti videatur.

Romanos constat in multis vitae et publicae et privatae partibus admodum diligentes vel potius superstitiosos fuisse in numerorum observatione, quippe quibus secretam quandam vim et rerum gerendarum omen inesse arbitrarentur. Quaenam autem in unoquoque genere fuissent reconditae illius numerorum doctrinae commenta et decreta, ea de re multa quidem hariolati sunt aetatis nostrae scriptores, quae pro suis populus Romanus Quiritium vix agnovisset: unum vero certum est atque ab omni parte exploratum, non parem sed imparem numerum habitum esse sanctiorem, faustiorem [2]), diis denique gratiorem. Cujus superstitionis vel in ipsa quotidiana vita dici non potest quam frequentia et manifesta deprehendantur indicia. Pastores sedulo cavebant, ne par in gregibus ovium esset numerus quippe quod officere eorum incre-

1) Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik, Vol. 58, F. 4, P. 343 et 344.

2) Paul. Diac. s. v. Imparem (p. 109 M.): Imparem numerum antiqui prosperiorem hominibus esse crediderunt.

mentis putaretur [1]): gallinis impari numero ova subjiciebantur, quo plures scilicet et meliores pullos excluderent [2]): in epulis si forte par adesset convivarum numerus omnem facile abire jucunditatem et hilaritatem sibi persuadebant. Silentium enim saepe exoriri derepente, idque indicio esse praesentium aliquem adversa laborare fama [3]). Itemque in curandis morbis [4]) in metandis et ordinandis castris [5]) et multis aliis in rebus [6]) eam videmus adhibitam esse curam, ut ubique si fieri posset impar numerus praeferretur pari. Quae diligentia eo major debebat esse, quo proprior aliqua res ad deorum cultum accedebat:

---

1) Geopon. XVIII, 2, 8 (ex Florentini de re rustica commentariis): *ἔςω δὲ ἀεὶ τῶν ποιμνίων ὁ ἀριθμὸς ἄνισος, ὡς φυσικὴν ἔχων τινὰ δύναμιν πρὸς διαμονὴν καὶ σωτηρίαν τῶν ἀγελῶν.*

2) Conspirant ea in re omnes fere omnium aetatum de re rustica scriptores. Agmen ducit Varro de re rust. III, c. 9, §. 12: In supponendo ova observant, ut sint numero imparia. Columella de re rust. VIII, 5, 8: Numerus ovorum quae subjiciuntur impar observatur. Plin. h. n. X, 54, S. 75: ova ... subjici impari numero debent. Pallad. de re rust. I, 27, 1: supponenda sunt his semper ova numero impari (cf. Barthii annotationem ad h. l.). Geopon. XIV, 7, 8 (ex Florentino): *πανταχοῦ μέντοι δεῖ ἄνισον εἶναι τὸν ἀριθμόν.*

3) Hunc enim sensum subesse arbitror obscurioribus Plinii verbis h. n. l. XXVIII, c. 2, S. 5, §. 27: Quin et repente conticescere convivium adnotatum est non nisi in pari praesentium numero. isque famae labor est ad quemcunque eorum pertinens.

4) Plin. h. n. l. XXIV, c. 10, S. 49, §. 83: Coronam ex eo (smilace) factam impari foliorum numero ajunt capitis doloribus mederi. Idem l. XXIII, c. 8, S. 80, §. 156: Jubent .... in capitis dolore impari numero (lauri) baccas cum oleo conterere et calfacere. Cf. Plinius Valerianus de re medica I, 2; II, 15 et 40; III, 32 (muscae impari numero infricantur), Serenus de medicina c. 12, Marcelli medicamentorum liber c. 1. Vegetii ars veterinaria III, 65, 11 (pastillos facies, quos impari numero et imparibus diebus ....., diffundes), cf. III, 67, 5 et III, 70, 7, (offulae ternae, quinae, septenae per triduum degerantur). Denique universe Plinius h. n. XXVIII, c. 2, S. 5, §. 23: »Cur impares numeros ad omnia vehementiores credimus, idque in febribus dierum observatione intelligitur?« Cui tamen opinioni obviam it Cornel. Celsus de re medica l. III, c. 4.

5) Veget. de re militari III, 8: Fossam aperiunt latam aut novem aut undecim aut tredecim pedibus: vel si major adversariorum vis metuitur pedibus decem et septem vel novem. Imparem enim numerum observari moris est.

6) Varro ap. Serv. ad Virgil. eclog. VIII, v. 75: Ideo medendi causa multarumque rerum impares numeros servari.

eam enim inhaesisse in Romanorum animis opinionem scimus, quam apertissime his Virgilius verbis declarat:

»Numero deus impare gaudet [1])«

Quamobrem, ut uno hoc exemplo defungar, in anni ordinatione, quae res maxime visa est ad religionem pertinere, id observatum esse a Numa accipimus, ut omnes menses aut undetricenos aut tricenos singulos dies complecterentur, in honorem, ut ait Macrobius, imparis numeri [2]): uno excepto Februario, cui viginti octo dies attributi esse eam ob causam dicuntur, quod in eo mense justa diis Manibus fierent, inferis autem solis par numerus videretur convenire [3]). Eadem diligentia institutum est, ut in unoquoque mense decem et septem dies ab Idibus usque ad sequentes Calendas computarentur: utque feriae menstruae, quippe quae in deorum honorem institutae essent, nunquam alio nisi impari

---

1) Virgil. ecloga VIII, v. 73 — 75:

Terna tibi haec primum triplici diversa colore
Licia circumdo terque haec altaria circum
Effigiem duco: numero deus impare gaudet.

Cf. Ciris v. 371 — 373:

Terque novena ligat triplici diversa colore
Fila; ter in gremium mecum, inquit, despue, virgo!
Despue ter virgo: numero deus impare gaudet.

2) Macrobius Saturn. I, 13: Numa in honorem imparis numeri, secretum hoc et ante Pythagoram parturiente natura, unum adjecit diem (ad trecentos quinquaquinta quattuor, cf. Censorin. c. XX) ut tam in anno quam in mensibus singulis, praeter unum Februarium, impar numerus servaretur .... Januarius igitur, Aprilis, Junius, Sextilis, September, November, December, undetricenis censebantur diebus et quintanas Nonas habebant: ac post Idus in omnibus a. d. septimum decimum Calendas computabatur. Martius vero, Majus, Quinctilis et October dies tricenos singulos possidebant. Nonae in his septimanae erant. Similiterque post Idus decem et septem dies in singulis usque ad sequentes Calendas putabantur. Sed solus Februarius viginti et octo retinuit dies: quasi inferis et deminutio et par numerus videretur convenire.

3) Censorin. de die nat. c. 20, §. 5: atque ita omnes menses pleni et impari dierum numero esse coeperunt, excepto Februario, qui solus cavus et ob hoc caeteris infaustior est habitus. — Solini Polyh. c. 3: Unde propter dies impares diis superis Januarius dicatur: propter pares Februarius quasi abominosus diis inferis deputatur.

die celebrarentur [1]). Itaque Nonae vel quintanae erant vel septimanae, nunquam sextanae; itemque Idus die post decimum vel tertio vel quinto nunquam autem quarto habebantur. Denique tanta erat ea in re superstitio, ut quum annus lunaris trecentos tantum quinquaginta quattuor dies explere videretur, Romani suo tamen anno unum adjicerent diem [2]), ut imparem trecentorum quinquaginta quinque dierum numerum complecteretur.

Redeamus nunc ad eos, unde exorsi sumus, sacerdotes et nulla jam poterit dubitatio esse quin in eorum quoque collegiis constituendis imparis numeri habita a Romanis ratio sit. Non defuerunt quidem sacerdotum complura genera (eaque forsitan major fuit pars), quae ab illa norma recederent; in omnibus autem hisce certas quasdam et justas indicare causas licebit, quamobrem diversa et sua usi sint lege; veluti in Saliis, quorum duodenarius numerus anni mensibus respondebat [3]), in duumviris vel decemviris sacrorum, qui pro Graeci sacri antistitibus potius [4]) quam pro genuino Romano habiti sunt sacerdotio [5]), denique in aliis collegiis nonnullis, quae quum vel peregre adscita vel ante Romanae originem urbis instituta essent [6]), Quiritium ea in re morem

1) Jo. Laurent. Lydus de mensibus l. III, c. 7, p. 92 ed. Roeth: *Ὁ Νουμᾶς, πανταχοῦ τὸν περιττὸν ἀλλ' οὐ τὸν ἄρτιον ἀριθμὸν τιμῶν, τριχῇ τὰς ἑορτὰς τοῦ μηνὸς διετύπωσε κ. τ. λ.* Cf. Macrob. et Censorin. ll. ll.

2) Censorin. de die natali c. 20, §. 4: facti sunt . . . dies CCCLV, quamvis luna duodecim suis mensibus CCCCLIV dies videbatur explere. Sed ut unus dies abundaret aut per imprudentiam accidit, aut, quod magis credo, ea superstitione qua impar numerus plenus et magis faustus habebatur. Cf. Ideler, Handbuch der Chronologie, vol. II, p. 55.

3) Lydus de mensibus, IV, 2, p. 51 Becker: *Δυοκαίδεκα . . . . . Σαλίους ὁρισθῆναί φασιν, ὑμνοῦντας τὸν Ἰανὸν κατὰ τὸν τῶν Ἰταλικῶν μηνῶν ἀριθμόν.*

4) Liv. X, 8: Decemviros sacrorum, carminum Sibyllae . . . . interpretes, antistites eosdem Apollinaris sacri ceremoniarumque aliarum, plebejos videmus.

5) Inde quoque factum est, ut hujus sacerdotii longe prius quam caeterorum omnium partem plebejis concederent patricii: Liv. VI, 42, X, 8, Niebuhr III, 35, Ambrosch Studien, p. 227, Merckliu l. l. p. 101.

6) Latini veteres non admodum solliciti videntur fuisse de impari numero servando. Argumento (ut

non sequebantur. Sed de his accuratius disserere quum longum sit in praesens ea omitto: unum hoc loco satis erit tenere amplissima illa, de quibus agimus, collegia, augurum scilicet et pontificum, nullo unquam tempore parem admisisse sacerdotum numerum. Quae enim a Livio ex augurali disciplina lex affertur imparem augurum debere numerum esse [1]), ea ad pontifices quoque pertinet, et tota utriusque collegii confirmatur historia, quam liceat breviter percurram. A principio igitur urbis tres instituti sunt augures pro numero trium antiquissimarum tribuum [2]) eosque, ut Cicero in libro de republica altero [3]) dicit, Romulus cooptavit ut sibi adessent in auspiciis: etenim quum summum auspiciorum jus rex haberet, privatos hos sibi administros non pares esse voluit [4]), nedum ipse, id quod Mercklinus sibi persuasit, in eorum se recipi consortium et collegium pateretur. Paullo post Numa Pompilius, quum tres augures jam sufficere muneri non viderentur, duo ad pristinum addidit numerum [5]), quem duplicasset fortasse, ut

---

alia mittam indicia) anni est ordinatio, qui tam apud Albanos quam apud Tusculanos ita dispositus erat, ut in omnibus, quotquot eorum novimus, mensibus par esset dierum numerus: similisque numerus in totius anni diebus quum apud eosdem Albanos tum apud Lavinienses observatus est. Cf. Censorin. de die natali c. 22 et 20, Solini polyhist. c. 3. Itaque hoc forte si quaeratur, quaenam Italica stirps anxiam illam, quam supra exposui, superstitionem prima apud se aluerit et excoluerit eamque ad Romanos ceterasque propagarit gentes, non improbabili conjectura ad Sabinos intendemus digitum, quorum ingenio rusticisque moribus religiosa illa observatio optime videtur convenire. Quamobrem nihil est quod miremur neque in antiquissimis agri Romani sacerdotiis neque in iis collegiis, quae ab aliis repetita esse gentibus traduntur, ubique imparem numerum inveniri.

1) Liv. X, 6.

2) Liv. l. l.: ut tres antiquae tribus Ramnes Titienses Luceres suum quaeque augurem habeant. Dion. II, 22: ἔτι πρὸς τούτοις ἔταξε μάντιν ἐξ ἑκάστης φυλῆς ἕνα παρεῖναι τοῖς ἱεροῖς.

3) II, 9: Nam et ipse, quod principium reipublicae fuit, urbem condidit auspicato et omnibus publicis rebus instituendis qui sibi essent in auspiciis ex singulis tribubus singulos cooptavit augures.

4) Cf. Untersuchungen I, p. 49 sq. Marquardt, Handbuch der römischen Alterthümer, II, 3, p. 70 sq.

5) Cic. de rep. II, 14: »Idemque Pompilius et auspiciis majoribus inventis ad pristinum numerum (i. e. trium cf. II, 9) duo augures addidit, et sacris e principum numero pontifices quinque praefecit.« Locupletissimus

bini pro singulis tribubus essent, nisi impar numerus fuisset servandus. Idemque Numa, ut Cicero ait [1]), sacris e principum numero pontifices quinque praefecit: quos quum e **principum** id est **patrum** numero fuisse dicat, satis declarat iis non adscriptum regem [2]) sed (id quod aliunde patet) praepositum fuisse: quinque autem electi sunt pontifices, ut totidem responderent auguribus, quae utriusque collegii convenientia et aequabilitas in omne exinde reipublicae tempus servata est. Interjectis aliquot seculis quum plebeji flagitarent, ut in ea collegia reciperentur, Ogulnia lege constitutum est, ut noni et augures et pontifices fierent, nempe pro singulis tribubus terni [3]), utque inter augures quinque [4]) inter pontifices quattuor e plebe collegae cooptarentur. Eo tempore tanta etiamtum visa est patriciorum in rebus sacris auctoritas, ut de pontificatu maximo nemo cum iis contendere auderet: cujus cum plebe communicatio si jam tum postulata a tribunis esset, periculum erat, ne tota illa de sacerdotiis lex antiquaretur. Itaque caute Ogulnii tribuni, si quid video, pontificis maximi causam a caeteris pontificibus segre-

his de rebus auctor et testis existimandus est Cicero, qui quum nuper cooptatum se augurem esse mirum in modum laetaretur, certe id omni cura egit, ne ignarus collegii sui historiae videretur. Cf. de rep. II, 31.

1) De rep. II, 14 (vide p. 10 adnot. 5).

2) Rein. l. l. p. 544.

3) Niebuhr I, p. 518, n. 775.

4) Eo anno, quo lata Ogulnia lex est, quattuor tantum in republica augures fuisse Livius X, 6 auctor est, annalium ea in re fidem secutus: »quum quattuor augures .... ea tempestate essent etc.«: neque quin ita vere se habuerit res ulla potest esse dubitatio, quum hoc ipso anno, ut ex Ogulnia lege novem augurum expleretur numerus, quinque allecti ex plebe sint, quorum in fastis exstabant nomina, Liv. X, 9. (Ad hunc locum non satis attendisse Huschke, v. cl., videtur, quum in libro de Servii Tullii legg. p. 64, n. 12 eodem anno ante legem latam praeter quattuor augures magistrum etiam collegii exstitisse putet). Quae autem addit Livius: »Quemadmodum ad quattuor augurum numerum nisi **morte duorum** id redigi collegium potuerit, non invenio«, ea ex sola ipsius ratiocinatione et conjectura profecta esse apparet: quam tamen omnino falsam esse non crediderim, dummodo non **duarum** sed **unius** auguris paullo ante accidisse mortem statuamus. Quam opportunitatem arripuisse videntur Ogulnii ut, quum in pontificum collegio major pars relinquenda patriciis esset, eandem in augurum ordine plebi vindicarent.

garunt, legemque suam ita promulgarunt, ut ad quattuor patricios pontifices, qui scilicet reliqui essent excluso maximo, plebeji quattuor accederent [1]). Inde factum esse arbitror, ut Livius eo, quem supra attigi, loco [2]) quattuor ante legem Ogulniam octo post eam latam [3]) pontifices fuisse dicat, nulla Maximi facta mentione: qua in re scriptoris vel nimia brevitas vel etiam negligentia [4]) multis errorem objecit, qui tamen nostra aetate jam depulsus a viris doctis est, postquam reperti Ciceronis de republica libri veri inveniendi viam aperuerunt [5]). Sullano deinde tempore novum incrementum uterque ordo cepit, quindecim quum auguribus tum pontificibus institutis [6]), ita ut pro singulis tribubus quini essent. Jam igitur in omnibus, quas memoravi, accessionibus duplicem normam intelligimus esse observatam; unam, ut impar numerus retineretur, alteram ut pro antiquarum, si fieri posset, tribuum numero sacerdotes multiplicarentur: quodsi vero utraque inter se regula repugnabat, id quod Numae tempore accidit, major vis attributa est priori [7]). Restat, ut de Julio Caesare agamus, qui novi plane instituti

---

1) Cf. Laurent. Lydus de magistrat. I, 43, p. 136 Becker: *καὶ πάλιν ὁ δῆμος προεχειρίσατο πέντε μὲν οἰωνοσκόπους, τέσσαρας δὲ ἱεροφάντας.*

2) Liv. X, 6.

3) Liv. X, 9.

4) Caeterum totum hunc Livii locum (c. 6 — 9) attente si perlegeris, ipsum erroris de pontificum numero non accusabis: probe enim memor videtur fuisse, quanquam ea de re admonere lectorem oblitus est, pontificis Maximi dignitatem illo tempore in controversiam nondum esse adductam. In Decii praesertim oratione (c. 7 et 8) multa intelliges inesse, quae aliter fuissent efferenda, si plebeji jam tum petiissent ut ad principem in sacerdotiis locum aditus sibi pateficret.

5) Cf. inprimis Göttling, röm. Staatsverfassung, p. 374, n. 8. Niebuhr I. p. 318, n. 775. Huschke, Serv. Tull., p. 64, n. 12.

6) Liv. ep. l. LXXXIX: Pontificum et augurum collegium ampliavit, ut essent quindecim.

7) In Livii verbis, quae his de rebus agunt (l. X, c. 6) scriptoris, ut ubique fere, agnoscimus fidem diligentiam desideramus. Utrumque enim, quod exposui, praeceptum ab auguribus acceperat, sed — quae ejus solet festinatio esse in jure et antiquitatibus explicandis — ita in unum ambo copulavit, ut necessario in errorem

auctor exstitit: ad eum enim numerum, quem Sulla sanxerat, denarium scilicet quinarium, tam in augurum quam in pontificum collegio unum adjecit sacerdotem [1]). Atque procul quidem intuenti admodum mira haec accessio videri debet, in qua neque imparis numeri, neque ejus, quam dixi, multiplicationis habita est cura [2]); sin vero propius accesseris omniaque ejus rei ponderaveris momenta, tantum aberit, ut

incideret. Haec enim habet: »quemadmodum ad quattuor augurum numerum nisi morte duorum id redigi »collegium potuerit, non invenio, quum inter augures constet imparem numerum debere esse, ut tres antiquae »tribus Ramnes Titienses Luceres suum quaeque augurem habeant aut, si pluribus sit opus, pari inter se »numero multiplicent« (pari inter se numero, i. e. aequali pro tribubus sive ternario numero, id quod propter nonnullorum falsam interpretationem moneo): »sic ut multiplicati sunt quum ad quattuor quinque adjecti »novem numerum, ut terni in singulis essent, explerent.« Jam intelliges totam qualem informatam habuit animo sententiam: primam illam de impari numero regulam (potiorem sine dubio et sanctiorem, quippe quae cum religione et omine, re inter augures gravissima, cohaereret) non sua valuisse jure opinatus est, sed eum solum observatam esse ob finem, ut aut tres omnino augures essent, quot in principio civitatis fuerant, aut pro tribuum numero multiplicarentur. Itaque fieri potuisse sibi persuasit, ut binario etiam vel quaternario numero multiplicarentur (duplicarentur vel quadruplicarentur) eoque in summa sex vel duodecim augures fierent. Qua in re manifestus ejus est error: nam et ipsa, quae attulit, augurum verba repugnant, et Ciceronis obstat testimonium, et tota denique utriusque collegii historia reclamat.

1) Testis est Dio Cassius l. XLII, c. 51: τοῖς τε γὰρ ποντίφιξι καὶ τοῖς οἰωνισταῖς (ὧν καὶ αὐτὸς ἦν) τοῖς τε πεντεκαίδεκα καλουμένοις ἕνα ἑκάστοις προσένειμε.

2) Caesarem constat senatorum magistratuumque immodice auxisse numerum, ut quam plurimos in civili bello socios adjutoresque suos praemiis et honoribus afficeret. Ex eadem causa illud etiam incrementum, quod augurum pontificumque addidit collegiis, Dio Cassius repetere videtur quum eo, quem supra attuli loco, sacerdotiis Caesarem aeque ac caeteris honoribus usum dicat esse, ut debitam amicis suis gratiam referret: ἵνα γὰρ πλείους αὐτῶν ἀμείψηται, στρατηγούς τε δέκα ἐς τὸ ἐπιὸν ἔτος ἀπέδειξε καὶ ἱερέας ὑπὲρ τὸ νενομισμένον. Quamquam autem non est, cur hoc a Caesare abjudicemus consilium, tamen nequaquam id sufficere ad totam ejus rationem explicandam unicuique patebit. Etenim si hoc tantum egisset ut amicis suis gratificaretur, cur in uno addendo illis collegiis sacerdote non hoc solum anno (a. 47 a. c.) sed omni dictaturae suae tempore se continuit? praesertim quum mirifice prodigus in magistratibus tribuendis esset simulque ambitiosos aetatis suae homines ardentissima eorum sacerdotiorum flagrare cupiditate sciret? (cf. Dio Cass. XLII, 10. Cic. ad Brut. 1, ep. 5, 7 et 14). Cur non Sullae potius exemplo sex utrique collegio loca adjecit ut et impar et tribuum numerus retineretur? Accedit, quod antiquam collegii sui de impari numero religionem neutiquam despicatui duxit; quum enim ad solis cursum annum ordinaret, diligenter id cavit, ut tam in Nonis quam in Idibus constituendis impares dies servarentur. Sed aliam peculiarem quandam rationem secutum eum esse in augure et pontifice addenda, Dio ipse satis declarat, quum ad verba τοῖς ποντίφιξι καὶ τοῖς οἰωνισταῖς statim adjiciat: ὧν καὶ αὐτὸς ἦν, id quod veram incepti hujus causam modumque continet. Inde

ea regulas illas nostramque de iis sententiam labefactet et evertat, ut nulla magis re tota illa, quam exposui, ratio confirmari et stabiliri videatur. Tenendum enim est Caesarem eo tempore, quum magnam civilis belli jam confecisset partem, id omni animi contentione egisse, ut veteris regni, cujus infelici quodam desiderio jampridem [1]) tenebatur, quamplurima instituta paullatim [2]) reduceret viamque sibi illius occupandi muniret. Itaque quum ipse et augur et pontifex esset, sacerdotii quidem utriusque jus amittere noluit: indignum vero majestate sua ratus ut diutius in caeterorum collegarum censeretur numero, singulos alios iis adjecit eosque suum substituit in locum, ut ipse jam supra numerum et ordinem evectus videretur [3]). Brevi enim sperabat fore,

---

quoque fit, ut alio Dio Cassius loco (l. XLIII, 51), quo ad nostrum respiciens universe de aucto a Caesare sacerdotum numero agit, quindecimviros quidem sacrorum et septemviros epulonum majorem ab eo collegarum accepisse numerum commemoret, augurum vero et pontificum, ut quorum diversa conditio fuerit, nullam omnino injiciat mentionem.

1) Cf. Drumann, Geschichte Rom's, Vol. III, p. 688.

2) Praeter ea, quae a Drumanno allata sunt indicia illud quoque huc pertinet, quod reipublicae gubernacula se absente non legitimis magistratibus sed priscorum regum more praefectis urbi commisit. Dio Cass. XLIII, 28 et 48. Untersuchungen, p. 303.

3) Occiso Caesare nemo in ejus locum alius, quantum apud scriptores reperire potuerim, neque in pontificum neque in augurum collegium est adscitus, sed ad justam ambo quindecim virorum numerum statim redierunt (Lepidus enim qui Antonii opera pontifex maximus electus ab ipso collegio est, jam pridem sine dubio receptus inter pontifices erat). Unde apparet Caesarem jam ante mortem suam desiisse inter utriusque sacerdotii collegas haberi, quorum numerus semper idem videbatur mansisse, qualem Sulla constituerat; id quod sequentis etiam temporis historia confirmatur. Quum enim non multo post concessum Augusto ejusque successoribus esset, ut quot vellent sacerdotes *supra numerum* eligerent (Dio Cass. LI, 20: ἱερέας ..... καὶ ὑπὲρ τὸν ἀριθμόν, ὅσους ἂν ἐθελήσῃ, προαιρεῖσθαι, cf. XLIX, 16) et distingui jam coepisset inter eos, qui intra legitimum numerum (*ad numerum*?) aliosque qui *supra numerum* in collegiis essent (cf. Mercklin, Cooptatio, p. 133), in augurum certe collegio non amplius quindecim erant, quibus ordinarius et justus numerus constituebatur. Atque id quidem ex duobus efficitur inter se collatis locis, Plutarchi altero, qui sui temporis Romanos etiamtum *antiquum* servasse augurum numerum refert (Quaest. Rom. c. 99: εἰκότως τὸν ἐξ ἀρχῆς ἀριθμὸν τῶν αὐγούρων φυλάττοντες) altero Livii, qui ab Augusteae aetatis auguribus debere ipsorum numerum et imparem esse et tribubus respondere acceperat, cf. l. X, c. 6 et supra p. 13, n. 7. Unde vero fit simillimum pontifices quoque, qui in legitimo numero haberentur, quindecim fuisse.

ut diversa illa in rebus sacris jura, quae ipsi ut pontifici maximo, ut auguri, ut aliorum sacerdotiorum sodali singula jam delata a populo erant [1]) uno regiae potestatis nomine [2]), antiquorum regum ad exemplum, universa complecteretur. Atque haec quidem hactenus.

---

1) Dio Cass. XLII, 51: *καίπερ αὐτὸς βουληθεὶς πάσας τὰς ἱερωσύνας λαβεῖν ὥσπερ ἐψηφίστο.*

2) Inter varias regni ejusque hereditarii apparationes ea quoque referenda est lex, qua in Caesaris gratiam sancitum est, ut pontificatus ejus maximus ad filium suum, si quem habiturus esset vel naturalem vel adoptivum, transferretur (Dio Cass. XLIV, 5: *τὸν δὲ δὴ υἱὸν (ἄν τινα γεννήσῃ ἢ καὶ ἐσποιήσηται) ἀρχιερέα ἀποδειχθῆναι ἐψηφίσαντο*). Qua in re observare licet, quam diversum Caesaris consilium ab Augusti ejusque successorum ratione fuerit, qui nunquam passi sunt, ut filiis suis, quos vel adoptassent vel procreassent, priusquam ad imperium pervenissent, pontificatus maximus destinaretur. Etenim quum primi et alteri saeculi imperatores regni nomen speciemque diligentissime vitarent, liberae autem reipublicae formam quamvis inanem anxie tuerentur, committere nolebant, ut summum in sacerdotiis locum tanquam hereditate relinquere suis viderentur. Itaque nemo unquam imperator patri vel majoribus suis acceptum hunc honorem referebat: sed exspectabant omnes, postquam potiti rerum erant, dum is, ut caetera potestatis suae munera, senatus populique beneficio sibi deferretur: neque id fere unquam primo principatus evenisse die ex Severi Alexandri verbis, quae sunt apud Lampridium c. 8, colligere licet. At Caesar contra nihil studiosius adpetebat, quam ut sanctissimam hanc dignitatem Juliae genti in perpetuum vindicaret eamque posteris suis hereditario jure relinqueret. Praeterea alia ea in re cernitur diversitas, quod imperatores inde ab Augusto satis sibi placebant in longa illa honorum potestatum dignitatum suarum serie, quas singillatim et particulatim a senatu populoque accepissent, Caesar contra nihil sibi videbatur assecutus esse, nisi ex diversis his membris unum corpus, ex singulis decretis sibi honoribus integram et solidam effecisset regiam potestatem.

Reliquum est, ut, priusquam magistratu me abdicem, eas rerum vicissitudines, quas hoc academico experti anno sumus, ritu a majoribus tradito paucis commemorem.

Atque primum omnium debitae gratiae agendae sunt Deo optimo maximo, quod et AUGUSTISSIMUM ELECTOREM ex imminenti nuper ereptum periculo incolumem servavit, et ea vota, quae initio hujus anni pro Academiae nostrae salute et dignitate suscepimus, magna certe ex parte rata esse jussit. Subsederunt tempestates illae, quibus superiore tempore conflictatae Europae gentes sunt, et jam spes affulget fore ut restituta ubique pace artes literaeque, quae inter turbas tumultusque laborare coeperant, ad pristinum splendorem floremque reducantur. Quanquam in praeceptorum Academiae nostrae ordine et numero major hoc anno deminutio quam accessio facta est. Jam enim paullo ante quam magistratum adii vir clarissimus Bruno Hildebrand, Philos. D., politicarum disciplinarum per decem amplius annos professor apud nos publicus ordinarius valedixit nobis, quum a Turicensibus in Helvetiam vocatus esset ut eandem ibi professionem susciperet. Paullo post eum secutus est vir consultissimus Henricus Fick, J. U. D., qui per aliquot annos juris disciplinas apud nos privatim docuerat, quum in eandem Turicensium academiam adscitus et professoris extra ordinem honore ornatus esset. Tertium Helvetia a nobis magistrum accepit virum consultissimum Ernestum Zimmermann, J. U. D., qui, abdicato consiliarii munere, quod in superiori provinciae nostrae tribunali antehac obtinuerat, quum privatas in Academia nostra jurisprudentiae scholas aperuisset, tam eximia mox floruit laude, ut duobus vix semestribus peractis a Basileensis academiae rectoribus arcesseretur et ad ordinarii in jure antecessoris dignitatem proveheretur. Non multo post experientissimum amisimus virum

Henricum Ludovicum Ferdinandum Robert, Med. D. et P. P. E., cujus jam per biennium carebamus praesentia, quum per Angliam et Galliam literarum causa peregrinationem suscepisset: unde redux honesta missione petita et impetrata sedem rerum suarum Confluentiam transtulit, ut celebratiore in civitate eam, qua insigniter excellit, medicam artem exerceret. Nuperrime ex praeceptorum numero excessit vir doctissimus Carolus Theodorus Bayrhoffer, Phil. D., ejusdemque P. P. O., qui quum ante hos decem menses paucorum dierum commeatu petito in longinquas abiisset regiones neque quum esset publice citatus rediisset, decreto judicii ad regendam ministrorum publicorum disciplinam haud pridem instituti a professoris munere, quod dereliquerat ipse, amotus est. Atque haud scio an damnorum, quae his fecimus annis, omnium longe gravissimum sit illud, quod in hoc ipso temporis articulo nobis imminet. Jam enim discessum a nobis parat in Friburgensium vocatus academiam vir illustrissimus Theodorus Bergk, Ph. D., Philologiae P. P. O., seminarii philologici director, qui per decennium illud, quo Academiam nostram celeberrimi nominis sui decore ornavit non de studiis tantum scholisque nostris sed de universa patria, cujus conciliis publicis saepe legatus interfuit, optime est meritus, neque admirabilis ingenii et doctrinae suae magis quam virtutis constantiae justitiae denique gratissimam nobis memoriam cum perpetuo sui desiderio relinquet. Denique ut omnia adversa in unum congeramus locum, ex adolescentibus curae nostrae commissis duos acerbis extulimus funeribus Ignatium Josephum Waldner, Fuldensem, philologiae et Christophum Carolum Hering, Marburgensem, chemiae studiosum, quorum alter morbo absumtus, alter, dum in Logana flumine lavatur, undis mersus diem obiit supremum: quorum ex morte tanto majorem cepimus dolorem, quod uter-